

157.

Schiffen.

157.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

VIRTUTIBUS
MENTIS

Q V A M

D. O. M. A.

Amplissimi Ordinis Philosophici in
illustri Iulia consensu

P R Æ S I D E

M. ANDREA FRÖLINGIO
NORTHEIMENSE,

Add. v. Julij cl̄o l̄o c LVI.

IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAIORI

Publico examini exposuit

JOHANNES JUSTUS GECIUS
GÖTTINGENSIS.

R E C V S A



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno cl̄o l̄o c LIX.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

VIRTUTIBUS

MEN- TIS

2. N. A. M.

D. O. M. A.

Augustissimi Ordinis Philosophici in

habetur hinc consensu

P. R. A. S. A. D. E.

M. ANDREA FRÖLINCIO

NORTHEIMENSE

Abd. v. Just. J. A. C. 1717

IM ZENTRALE M. A. D. O. R. I. O. M. A. I. O. R. I.

Publico Consensu

JOHANNES JUSTUS GECIUS

RECTOR

1717

1717

FRÖLINCIO

Typis JOHANNIS FRÖLINCII

1717





Σὺν τῷ Θεῷ.

T H E S I S I.

UNiuscujusque rei, cuius operatio quædam est, bonum & perfectio in ipsa illa operatione atque ἐν ἐργείᾳ consistit. Vid. Aristotel. lib. i. Nicomach. c. vi. l. i. Magn. Moral. c. ii. & iii. l. i. Eudem. c. i. l. ix. Metaph. c. iix.

II. Quod usque adeo sibi persuaserunt Sapientissimi quique, ut Deum etiam beatum esse non posse, imo ne vivere quidem existimaverint, nisi in operatione aliqua occupetur. Loco omnium testimonium perhibeat ipsorum Coryphæus Aristotel. L. xii. Metaph. vii. l. x. Nicom. iix. & alibi.

III. Neque vero omnis in universum & quæcunque operatio huc pertinet, aut ad eam rem potest esse satis; sed ejusmodi requiritur, cujusmodi ipsi illi rei propria est & peculiaris, à propriis ejus potentiis procedens; sive, uti Thomas loqui amat, *quæ competit ei secundum suam formam*. Comm. in lib. i. Eth. lect. x.

IV. Sed nec perinde est, eam quocunque modo sese habere; quin potius perfecte, prompte & sine molestia edi oportet. Quod in plerisque præstant habitus doctrina & assuefactione acquisiti, qui virtutum nomine appellantur.

V. Etsi enim hæc vox non nisi ad morum habitus designandos vulgo consueverit adhiberi; apud bonos tamen sapiendi dicendique Magistros denotat etiam quamcunque perfectionem, *quæ id, cuius virtus esse dicitur, bene*

affectum reddit, & ad bonitatem eiusdem dirigit operationes.
Vid. Aristotel. lib. I. Eth. ad Nicom. c. vi. l. II. c. v. lib. II.
Eud. c. I. lib. VII. Phys. c. IV. Ex schola Pythagoræ Metro-
pus lib. de Virtute, & Euryphamus lib. de vita. Marcus Tul-
lius lib. I. de legibus, & pluribus locis aliis, quæ citata re-
periet cupidus lector in Lambini annot. ad Aristotelis I. II.
Eth. cap. v.

VI. Variant autem hæ virtutes, diversamque præ
diversitate potentiarum & objectorum aliorumque rati-
onem ac denominationem sortiuntur.

VII. Hominem quod attinet, duas in eo potentias,
à quibus operatio ipsi propria seu humana proficiscatur,
reperimus: Intellectum sc. & Appetitum, quatenus hic il-
lum audire, ei que recta monenti obtemperare potest,

VIII. Atque hinc duum etiam virtutum genera re-
sultant: unum earum quæ intellectum; alterum, quæ ap-
petitum perficiendo, & ad munia exequenda promptum
reddendo felicitatem bonumque naturale ipsi procurant.
Illæ *διανοητικῆς* seu intellectuales; istæ *ἠθικῆς* seu morales
vocantur, appellatione partim à subiecto, partim à mo-
do acquirendi desumpta. Vid. Aristot. lib. I. Nicom. c. XIII,
lib. II. c. I.

IX. Nos hac quidem vice, Moralibus sepositis, In-
tellectualium naturam propius contemplari, & brevibus
thesibus comprehensam *συντήσιος* ergo proponere ani-
mum induximus.

X. Ac initio illud constare debet, Intellectus, in-
quo sedem habent, cuiusque adeo virtutes sunt, *proprium*
opus esse Veritatem lib. VI. Nicom. c. II. sive *τὸ ἀληθές ἐστι τῆς ἀ-*
γαθότητος ἢ ἀποθνήσκει ibid. c. III.

XI. Unde jam porro nemini potest esse obscurum,
munus earum atque officium esse, istum in hoc perficien-
do

do atque probe exequendo dirigere: *ἢ γὰρ δεῖται πρὸς τὸ ἔργον*
τὸ εὖσιον. Lib. vi. c. ii.

XII. Id vero non una prorsus & eadem ratione præstat intellectus. Sed nec potest: quando tam varia & toto genere diversa, atque adeo etiam diversimode cognoscenda sese offerunt objecta.

XIII. Quæ tamen, quod nostrum attinet institutum, ad duas classes commode referri posse videntur. Altera eorum est, quæ necessaria sunt, & mortalium arbitrio subtracta: altera contingencia continet, quæque aliter atque aliter, prout homines voluerint, sese habere possunt.

XIV. Circa illa ita versatur, ut ea tantum cognoscat, verumque in ipsis deprehendat. Quod postquam obtinuit, ceu munere suo defunctus, acquiescit. Secus circa ista. Neque enim in nuda eorundem cognitione sistit, sed aliquam insuper mutationem iis inducere docet, & quomodo ea sit instituenda, præscribit.

XV. Atque hæc tam diversa objecta, tam diverso etiam fine modoque cognoscenda ipsius quoque potentia cognoscentis h. e. intellectus aliquam sive diversitatem sive distinctionem inducunt. Vid. lib. vi. Nicom. i. & l. i. M. M. C. XXXV.

XVI. Alia scilicet ejus sive pars sive facultas est, quæ prioris generis res contemplatur, & *ἰσθητικὴ* audit; quod, dicente Giphanio, *in iis rebus cernatur, quæ τὴν ἴδιαν propria est scientia.* Alia, circa posterius genus occupata, *λογιστικὴ* meruit appellari. Cujus appellationis rationem ipse Philosophus subdit his verbis: *τὸ γὰρ βελέεσθαι καὶ λογίζεσθαι ταύτην.* At consultatio in ijs est, quæ aliter se habere possunt. Lib. vi. c. iix.

XVII. Neque illud tantum, sed & habitibus, quo-

A 3

rum

rum usus est in potentijs quoad operationes perficiendis & adjuvandis, aliquod inde discrimen accedit. Omnino enim alterius naturæ habitus esse oportet, qui nuda rerum speculatione absolvuntur, ab ijs, qui omnem cognitionem suam ad aliud aliquid dirigunt.

XIIX. Quapropter utriq; illi facultati *ἡθημονική* scil. & *λογιστική* peculiares habitus sunt assignandi. Qui utrique ob ulteriorem objectorum diversitatem, ex diverso fine, &, qui hinc promanat, modo considerandi oportet, porro dirimuntur.

XIX. Nimirum quæ *ἡθημονική* cognoscenda obijciuntur vel sunt hujusmodi pronunciata, quibus sine omni demonstratione aut syllogistica probatione firmiffimus assensus præbetur: Vel talia, quæ ex se non merentur assensum, sed ad eum eliciendum opus habent, ut ex istis tanquam notioribus, & jam tum certis beneficio syllogismi deducantur. Quibus adeo omnem suam certitudinem acceptam referre tenentur.

XX. Circa ea, quæ prioris generis sunt & principia appellantur, versatur habitus qui *νῦς* h. e. mens seu intellectus dicitur. Qui in posterioribus occupatur, scientiæ nomen invenit.

XXI. *λογιστικῆς* vero seu consultativæ facultatis (liceat nobis ex §. 16. ita vocare) objecta, quæ contingentia esse diximus, & in nostro posita arbitrio, itidem bifariam sunt distributa: quædam enim sunt *πρακτικά* seu actiones *ἐν προαιρέσει* prodeuntes, se ipsis contentæ, & turpis honestique capaces. *τὸ εὖ τὸ γὰρ τὸ πρακτὸν καὶ τὸ προαιρετικόν.* Lib. vi. Metaph. c. i. Quædam autem *ποιητικά* sunt, h. e. talia, quæ ad id, ut opus aliquod producat, sunt ordinata. *Ἐνεκα γὰρ τὸ ποιῆν πᾶς ὁποιῶν καὶ ὁ ἴδιος ἀπλῶς, ἀλλὰ πρὸς τι καὶ*

καὶ τὸ πρῶτον. Lib. vi. Eth. c. ii. Illis moderandis Prudentia præst: hæc per artem diriguntur.

XXII. Tot itaque sunt virtutes sive habitus intellectuales objectis alijsque nominibus à se invicem distincti. Nam quod Sapientiam attinet nondum nobis memoratam, ab Aristotele tamen in hunc numerum relatam; ea sane nihil aliud est quam intellectus & scientia conjunctim sumta: sive, ut ipse Aristoteles inquit. M. M. c. xxxv. ἡ δὲ σοφία καὶ ἡ σύνεσις. Ut proinde peculiarem aliquem habitum non constituere videri possit: nisi in objecto etiam aliqua diversitas occurrat: quo de paulo post enucleatius agetur.

XXIII. Neque enim omnino nullum operæ pretium fuerit, singulos paulo pressius considerare: saltem attendere quomodo à Philosopho lib. vi. Eth. ad Nicom. describantur & à se mutuo discriminentur.

XXIV. Et scientia quidem (integrum nobis erit ordinem à Doctore nostro observatum retinere) *κρυπτός* ita dicta, est rerum necessariarum. Quæ enim scimus, ea putamus aliter se habere non posse: quæ autem aliter se habere nequeunt, necessaria sunt. Lib. vi. c. iii.

XXV. Addit Philosophus eam quoque versari circa æterna, atque ortus interitusque expertia. *Quæ necessario sunt simpliciter, inquit l. c. ea sunt æterna omnia. Ubi quid per æterna intelligat non adeo planum esse videtur. Rectius procul dubie sentiunt, qui, verba commodante B. Horneio Phil. Mor. pag. 557. æternum vocari dicunt, quicquid perpetuum est, sive æternum & semper verum, licet alias ab æterno non exstiterit, nec in æternum existat: de necessitate enim complexa seu propositionum aut connexionis terminorum sermo est.*

XXVI. Hinc Thomas comment. ad h. l. lect. 3. *Po-
test*

est etiam, inquit, de generabilibus & corruptibilibus esse aliqua scientia puta naturalis, non tamen secundum particularia (individua) quae generationi & corruptioni subduntur, sed secundum rationes universales, quae sunt ex necessitate & semper. Vid. ipse Aristoteles lib. 1. post. c. vii. t. 21. & 22.

XXVII. Porro cum omnis doctrina ex praecognitis quibusdam doceatur idque vel inductione vel syllogismo (II. Prior. c. xxiii. & 1. post. c. 1.) & scientia talis sit, necesse est alterutro horum modorum acquiri. Jam v. inductio principiis colligendis & confirmandis inservit. Unde manifestum est, scientiam syllogismo comparari. Neque vero qualicumque; sed demonstrativo: qui inde etiam *ἡμῶν* audit 1. post. c. 2.

XXVIII. Euerit itaque Scientia habitus demonstrativus h. e. cujus beneficio conclusionem necessariam elicimus ex principiis itidem necessariis, veris, primis, immediatis, prioribus ac notioribus, causisque ejus quod conclusione efficitur. Id enim proprie est demonstrare. Vid. Aristoteles 1. post. cap. 11. & seqq.

XXIX. Scientiae Artem Philosophus subjungit, apteque definit habitum cum recta ratione effectivum. Quod si enim singulos habitus percurramus & lustremus, eos, quibus aliquid cum vera ratione efficitur, artes appellari deprehendemus.

XXX. Versatur ars circa talia quae fieri aliter atque aliter possunt & quidem à principio, quod non in ipsis est (sicut se res habet in naturalibus) sed in artifice, cujus arbitrio sunt subjecta.

XXXI. Differt à scientia & reliquis partis *ἡμῶν* habitibus potissimum objecto: quod hic necessarium est & immutabile; illic autem, ut modo dictum, ejusmodi quod mutari & variis modis conformari queat.

XXXII. Tale etiam prudentiæ obijcitur, sed alio modo & fine. Uti enim Ars *σοφία* spectat, sic Prudentia *πρόξιν* intendit: *σοφία* inquam, proprie dictam, uti angustius quid est quam *ἐπιγνῶσις*, & τῆ *ποινῆς* contradistinguitur.

XXXIII. Est nimirum habitus cum recta ratione activus (*ἰσχυρὸς*) circa ea quæ homini bona & mala sunt.

XXXIV. Illi enim prudentes vocari consueverunt, qui ea, quæ universam bene beateque vivendi rationem concernunt, ratione sua providere & debito modo agenda præscribere possunt.

XXXV. Hinc jam præno quasi alveo insignes inter practicum hunc & reliquos habitus intercedentes differentia promanant.

XXXVI. Nam quod circa contingentia & circa talia, quæ se aliter habere possunt, versatur, eo ipso à scientia abit: cujus objectum necessarium esse diximus h. e. quod se aliter habere nequeat.

XXXVII. Ab arte differt, quia hujus finis est *σοφία* istius *πρόξιν*. At alia utriusque ratio est & natura. *Τέχνη σοφία* *ἢ πρόξιν* inquit Eustratius, *ἐκ ἐπέα τῶ ἐίδει πρόξιν ἢ σοφίας*. Quid vero discriminis intercedat, innuimus quidem jam tum §, 21. plenissime autem expositum legere est apud Venerandum Dominum Præceptorem, Excellent. Conringium lib. de Civili Prudentia cap. ix. pag. 164.

XXXVIII. Artis etiam est virtus, prudentiæ non item Lib. vi. Nic. c. v. Eud. v. c. v. Hæc differentia obscurior est propter aliam atque aliam Virtutis acceptionem. Accipi enim potest (1.) pro virtute morali, ut sensus sit, quod circa artem requiratur virtus moralis, quæ scilicet rectificet usum eius. Potest enim esse, verba Thomæ recitamus ex comment. in h. l. lect. 4. quod aliquis habeat usum

B

Artis,

artis, quo potest bonam domum edificare, tamen non vult propter aliquam aliam malitiam. Sed virtus moralis, puta iustitia facit, quod artifex recte utatur arte sua. Sed circa usum prudentia non requiritur aliqua virtus moralis. Dicitur enim quod principia prudentia sunt fines, circa quos conservatur rectitudo iudicii per virtutes morales: Unde prudentia, quæ est circa humana bona, ex necessitate habet secum indiunctas virtutes morales tanquam salvantes sua principia, non autem ars, quæ est circa bona exteriora. Sed postquam iam ars habetur, adhuc requiritur virtus moralis, quæ rectificet usum eius. Thomam sequitur, ut solet, Donatus Acciajulus comm. in h. l. num. 50. alijque plures.

XXIX. Deinde virtus hic denotare potest perfectionem & excellentiam quandam. Ita enim nonnunquam sumi supra jam monitum est. Tum vero hæc mens verborum erit, artem ejusmodi habitum esse, qui excellentiam & perfectionem admittat s. secundum quem artifex & simpliciter & perfecte s. præclare possit operari: prudentiam non item, sed talem esse, ut, quicquid per eam agatur, omne sit præclarum & eximium. Hanc explicationem, quæ doctissimo Giphano etiam probatur, à mente Aristotelis propius abesse quam priorem existimamus. Vid. l. vi. Nicom. c. vii.

XL. Denique hoc etiam inter artem & prudentiam interest, quod in artibus præstantior censendus est & antefereendus is, qui sciens volens in opere faciendo errorem admittit quam qui invitus: in prudentia contra deterior, qui sponte sua peccat quam qui ex ignorantia forte offendit.

XLI. Ubi tamen observandum, ut recte monet Acciaj. comment. ad cap. v. l. vi. num. 15. majorem artificis sponte errantis præ illo qui ex ignorantia peccat, præstantiam.

stantiam accipiendam esse de ea quæ est *secundum artem*.
Nam, verba ipsius sunt, *spontaneus defectus arguit imperitiam
& ignorantiam artis*. Itaq; *voluntarium vitium tale in arte,*
etsi vitium sit tamen non videtur esse vitium artis: potest enim
esse malus homo & peritus artifex, & abuti illa arte. At circa
prudentiam fit contra. Vitium enim voluntarium arguit de-
fectum prudentia, & pravitatem hominis non habentis vere
prudentiam sed astutiam quandam: & sic in reliquis virtuti-
bus morum, in quibus ignorantia non sua culpa commissa excusa-
ri solet. Delictum vero voluntarium spontaneumque reprehendi.
At in arte, etsi voluntarium delictum reprehendendum sit,
non tamen ut artis delictum, sed involuntarium bene reprehendi-
ditur, ut artis defectus, cum imperitiam præseferat.

XLII. Quartus intellectus habitus est primorum
principiorum: *ἢ ἂν γινώσκων τῶν ἀρχῶν καταλαμβάνομεν seu*
καθ' ὃν τῶν ἰσχυριστικῶν ἀρχῶν εἰς γινώσκων ἐρχόμεθα, uti loqui-
tur Nicænus Commentator.

XLIII. Enimvero cum principia, quibus omnis re-
liqua cognitio innititur, nobis debeant esse notissima &
certissima, oportet sane aliquo eorum habituum, *ἢ ἀλη-*
θεύομεν καὶ μηδέποτε διαψεύδομεθα (L. vi. c. vi.) percipi &
cognosci.

XLIV. Scientia non possunt: *τὸ γὰρ ἰσχυριστικὸν ἀποδεικ-*
τὸν: inquit Philosophus noster loco jam cit. Planius ἔξηγη-
της modo laudatus: ἰσχυριστικὸν ἔστι τὸ ἀρχῶν ἀποδεικτικῶν,
ὅτι ἰσχυριστικὸν ἐστὶν ἰσχυριστικὸν. τὸ δ' ἐπιστητικὸν ἀποδεικτικόν, ἢ ἂν ἀρχῶν
ἢ ἀποδεικτικὸν ἀλλὰ ἀποδεικτικὸν, ὡς τῆ ἀποδείξει ἔσονται αἰτία τῶν συν-
ίστασθαι αὐτῶν.

XLV. Nec prudentia aut arte. Hæ namque eorum
sunt, quæ aliter sese habere possunt. Principia autem ne-
cessaria & immutabilia esse oportet.

XLVI. Sed neque sapientia hunc habitum proprie

constituit. Et si enim sapiens circa principia etiam versetur; expedit tamen simul nonnullarum rerum demonstrationes, quæ illinc abesse iubentur.

XLVII. Reliquum igitur est, ut illum esse dicamus, qui eandem cum ipsa potentia intelligendi nomenclaturam sortitus nō s. h. c. Intellectus appellatur. Non quidem ideo, quod quoad rem ipsam etiam cum ea sit unum idemque: sic enim improprie imo falso habitus ipsius diceretur. Nec quod natura nobis insit & quasi congenitus: (ut nonnulli velle videntur: Vid. Thomas in comment. ad lib. vi. lect. v.) hoc namque pacto *fatendum erit, eum, qui certius aliquid cognoscit, quam si per demonstrationem, in summa tamen ignorantia versari: quod tamen ἀπορον, quemadmodum Philosophus censet lib. 2. post. capit. (quo ipso capite modum & rationem habitum istum acquirendi elegantissime docet.)* Sed forte quod hæc intellectus cognitio reliquarum prima sit & simplicissima: aut quod Aristoteli, cum non haberet aliud nomen, placuerit ita appellare, uti Acciaiolus opinatur comment. p. 487.

XLVIII. His denique Sapiencia additur, habitus ex intellectu & scientia compositus, eoque non circa conclusiones tantum, sed principia quoque versans. Δεῖ γὰρ τὸν σοφὸν μὴ μόνον τὰ ἐν τῶν ἀρχῶν εἰδέναι ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς δεξιὰς ἀληθεύειν. Lib. vi. Eth. vii.

XLIX. Neque tamen ex tali scientia, quæ, ceu Thomas ait comm. in hunc locum, sit *qualitercunque scientia sed scientia rerum honorabilissimarum ac divinarum: & insuper tam perfecta & accurata, quam in hominem cadere possit. Quod vel inde cognosci queat, quod artificibus etiam hoc nominis tribui consueverit, qui alicujus artis*
sunt

sunt peritissimi, seu, uti iterum Thomas, qui attingunt ad
id quod est ultimum & perfectissimum in arte.

L. Ex objecti illa præstantiâ natum est splendidum
Ejus encomium quod dicitur ὡς περ κεφαλὴν ἔχουσα ἐπιστήμη
h. e. scientia instar capitis se habens scil. ad cæteros habi-
tus seu cæteras scientias. Ita enim mutata vulgata scriptu-
ra (quod ὡς ἐν παρόδῳ addere libet) hunc locum emen-
dandum esse censet Dionysius Lambinus annotat, in eun-
dem. Et in scholiis suis approbat Theodorus Zvvingge-
rus, suaque interpretatione Thomas Aquinas in com-
ment. & Philippus Scherbius non uno loco confirmare
videntur. Quanquam altera illa scriptura, quam extare
in omnibus libris, quos ipse potuisset inspicere, Joach. Ca-
merarius, & omnium libb. manu & typis descriptorum
consensione confirmari, Obertus Giphanius dicunt; Lam-
binus etiam non diffitetur; sic satis commodam interpre-
tationem admittat: uti apud Acciajolium & modo lauda-
tos duum viros Camerarium & Giphanium comment. in
h. l. videre est. Quorum hæc insuper receptam scriptu-
ram contra Lambinum & Muretum, quem cum Lambi-
no facere ait, tueri conatur. Apud Eustratium est, quod
utramque partem juvet. Unde & à Lambino & Giphanio
in sententiæ probationem advocatur. Per nos integrum
cuilibet esto, utram voluerit, sequi.

LI. Eadem facit, quod Philosophus Sapiaentia pru-
dentiam aut scientiam civilem asserit esse inferiorem;
cum scil. hæc circa hominem tantum, & ea, quæ eidem
bona & mala sunt, illa vero circa res divinas, & humana
conditione sublimiores versetur. Vid. lib. i. de anima
text. i. Et vero hoc ipsum alicui discrimini satis manife-
stum suppeditat fundamentum.

LII. Sed & illud, quod Sapiaentia est universalium

B 3

tan-

tantum, ut principiorum & ex his productarum conclusio-
num: prudentia vero etiam singularium. Est enim ha-
bitus activus: actiones autem circa singularia sunt. ἡ σοφία
περὶ τὰ καθόλου αἰεὶ, ἡ δὲ φρόνησις περὶ τὰ πρακτὰ καὶ γινόμε-
νη ἔχει μὲν καθόλου κανόνες ἠθικῶν καὶ πολιτικῶν, καθ' ἕνα δὲ
διάγειν καὶ πολιτεύεσθαι. Ἐξείραξις δὲ καὶ τὰ καθέκαστα περὶ αἰ-
καὶ τὰς πράξεις ἐκδείκνυται. Πᾶσα γὰρ πρῶξις ἐν τοῖς καθέ-
καστα, uti habent verba Græci Commentatoris.

LIII. Atque ista ita sese habent. Coeterum cum
non levia inde dubia suboriantur, aliquod etiam operæ
pretium nos consecuturos, saltem eam non lufuros spera-
mus, si eorum examinationem, paucis itidem, pro institu-
ti nostri ratione, subjungamus.

LIV. Dictum nimirum est, habitus istos nostros
vocari virtutes intellectuales, atque adeo ita comparatos
esse debere, ut beneficio eorundem anima nostra verum
enunciet, nunquamque mentiatur. Jam vero haut exigua
habet dubitationem, utrum tanti nominis mensu-
ram implere & eximium illud opus exequi omnes & sin-
guli recte queant.

LV. Nam (1) certum est, & ipse Aristoteles docet
lib. 1. post. cap. 2. principia longe certius cognosci quam
conclusiones. Unde sequi omnino videtur, scientiis (ut
de prudentia & arte nunc nihil dicamus) respectu intelle-
ctus aliquam incertitudinem inesse.

LVI. Deinde quoque in confesso est, inter ipsas sci-
entias alias aliis esse accuratiores & certiores. Sunt ni-
mirum nonnullæ, quorum in numero etiam est natura-
lis, quæ non semper in suis demonstrationibus perpetuam
obtinent veritatem, sed interdum contentæ esse debent
hujusmodi pronuntiatis, quæ plerumque seu ex magna
parte sunt vera. Quorum exempla pluscula à Clariss.
Scher-

Scherbio collecta legere est in Phil. Altorph. pag. 17.

LVII. His tertia, major etiam, circa prudentiam & artem occurrens, accedit difficultas. Enimvero si cognitio ab ipsa re, quæ cognoscitur, similem accipit naturam, & ἐν τῷ λόγῳ, verba Eustratij sunt, ἀληθία τῆ τὸ ἀγαθὸν ὅτι οἱτισυμπαρομαρτῆ, καὶ ἡ ἐν λόγῳ αὐτοῖς τὸ ἀγαθὸν τῆ ἀληθεία τῆ ἐν τῷ λόγῳ ὡς εἰς τὸ εἶναι βεβαίον καὶ μόνιμον, βεβαία καὶ παρὶ τῶν ἡ ἀληθία, εἰ μὴ ἔ, parum sane certi aut veri ab his habitibus videmur nobis polliceri posse.

LIX. Neque enim modo constat eos circa hujusmodi objecta versari, quæ se aliter atque aliter habere possunt, magnamque varietatem atque inconstantiam sustinent: partim ob infinitam pene multitudinem circumstantiarum: partim ob liberam ac indeterminatam hominum voluntatem: ut νόμος potius ἢ hominum institutio quam natura constare videantur, I. Eth. I. Sed certum quoque est, & fere quotidiana experientia comprobatur, fortunam, quam vocamus, & in actiones & in effectiones multis modis sese insinuare, atque adeo finis consecutionem, quo tamen omnis illa cognitio ultimo collineat, maxime dubiam reddere. Sane tam verum hoc visum est Philosopho nostro, ut non dubitaverit asserere, fortunam & artem in ijdem rebus quodam modo versari, approbato etiam illo Agathonis versiculo lib. vi. Eth. cap. iv.

Τέχνη τύχην ἐφερέε, καὶ τύχην τέχνην.

LIX. Atque ista ad eum modum superius traditis objici possunt. Quæ tamen tantum efficere non valent, ut propterea vadimonium nobis sit deserendum. Nam (1) concedimus quidem scientias paulo minus certas esse quam intellectum, uti Aristoteles dicto loco demonstrat: (2) alias scientias alijs esse accuratiores & certiores, ceu
idem

idem docet ejusdem lib. cap. 7. at inde sequi, eas, quæ ita se habent, nomine virtutum intellectualium scientiarumq; esse indignas, aut munere suo non recte defungi: id vero est quod negamus.

LX. Enim vero sunt quidem cognitionis humanæ, uti plerarumq; aliarum rerum, quidam gradus, ac major alterius præ altera certitudo & ἀκρίβεια: id tamen ipsam speciem non mutat. Neque existimandum est *scientias esse tanquam numerum, cui sive addas aliquid sive detrahas, statim mutatur species, sed multiplicem admodum varietatem habere*, uti censet inter veteris Philosophiæ genuinos sectatores & primos instauratores haut postremus, jam supra nobis laudatus, Philippus Scherbius Phil. Altorph. p. 17. Vid. Id. de diff. anal. & dial. §. 38.

LXI. Scilicet sufficere nobis ad scientiam & potest & debet, si res objectæ φυσικῶς seu πραγµατικῶς, κατ' ἀλήθειαν καὶ τὴ φύσιν, uti Philosophus loquitur, tractentur h. e. uti vera se habent: non λογικῶς seu διαλεκτικῶς & κατ' ὁδὸν h. e. uti aliquibus videntur: si principia, unde conclusiones deducuntur, non sint communia aut ἀκρότρια & λίαν καθόλου sed ἐπιμέτα & rebus ipsis accommodata.

LXII. Quo omnino referenda sunt, ut iterum nostra faciamus Scherbij verba, *illa etiam universalia theoremata, quæ magna ex parte tantum vera sunt. Cum in scientiis theoreticis ratio tantum habenda eorum, quæ in universa specie cernuntur, non quæ aliquando præter naturam in individuo aliquo obiciuntur.* De differ. anal. & Dial. §. 39. & 40.

LXIII. Qui itaque factum, quærat aliquis, quod Aristoteles tales proposuit definitiones, quæ summam ἀκρίβειαν & absolutam perfectionem exigere videntur? Huic verò, quisquis sit, rectius respondere non possumus quàm istis Philosophi §. præced. citati, plusculis quidem, sed

sed elegantissimis verbis: perfectissimum capere, inquit, in qua-
quere & definiiri & pro mensurâ constitui cæterorum, quæ ab
eo primo longius aut minus recedunt. Fecit id Galenus in optima
corporis constitutione: fecit idem in definiendis morbis, suisque
notis circumscribendis. -- Fecit Plato in informanda sua repu-
blica. Fecit Cicero in oratore adumbrando. Fecerunt summi
pictores in eximia pulchritudine depingenda. Præceptum est
didascalicum apud Aristotelem in lib. de cælo: unumquodque
est mensurandum maximo, quod potest, & minimo quod non
potest.

LXIV. Neque tamen, addit, si quid aliquantum absit ab
rectissimo illo, statim pro distorto & pravo habendum, nomine-
que eius rei privandum. Oratorem expressit Cicero, qualis for-
tassis nullus unquam fuit: at scripsit idem tamen de claris ora-
toribus. Aristocratia sunt & fuerunt præstantissima, quam vis
vix aut ne vix quidem ulla, quæ omnes numeros habeat Philoso-
phorum civilium. Sunt, erunt, & fuerunt multæ formosissime
virgines, etsi nulla unquam fortassis, quæ ideam Apellis tueri
possit. Hæc ille in Phil. Altorph. p. 15. & 16.

LXV. Et vero quid opus est multis? ipsum sane A-
ristotelem omnium rectissime intellexisse suas definitio-
nes nemo, opinor, negabit. At vero is disertè scripsit: o-
mnis scientia eius est, quod aut semper, aut plurimum est, VI.
Metaph. c. 2. Junge I. post, c. VII. & XXV. ubi idem docet.
Alteri etiam demonstrationis speciei, quæ τὸ ὄντι est, longe
recedenti à momento alterius, quæ τὸ ἄντι dicitur, & po-
tissimum est definita, non negat tamen demonstrationis
nomen.

LXVI. Denique quod attinet prudentiam & artem
(eadem enim utriusque ratio hic est) Resp. I. objecta earum li-
bero quidem hominum arbitrio, aliisque variis rerum vi-

C

cibus



cibus esse subiecta, non tamen omni plane certitudine & necessitate carere, imo multiplici esse involuta; saltem ea, quam hypotheticam Metaphysici appellant, ex suppositione alicujus causarum promanantem. Præprimis locum sæpius invenit, quæ ex finis suppositione resultat.

LXVII. Videtur id docere voluisse Aristoteles quando scripsit *finem esse principium rationum de rebus agendis* L. vi. Eth. c. ult. & *quod eorum, quæ sub actionem veniunt, principia sint ea res, quarum rerum gratia suscipiuntur ea, quæ sub actionem veniunt* lib. v. Eud. cap. v. Unde profecto non potest non consequi, universalia prudentiæ & artium pronuntiata, etsi versentur περὶ τὰ ἐν μεταβολῇ ὄντα (I. M. M. c. 35.) nihilo tamen minus sic satis fixam & constantem obtinere veritatem. Coeterum de omni hac re videri omnino debet Conringius noster ὁ πᾶν lib. de Civili Prudentia cap. viii. pag. 134. & seqq. ubi eam accuratissime, ut solet, & iusta prolixitate persequitur.

LXVIII. II. Quantumvis fortunæ illud, quod diximus, imperium sæpe in causa sit, ut & prudens sine suo frustretur, & artifex laboris sui fructu carere cogatur: nequam tamen hoc ipso prudentiæ aut artis certitudini aliquid detrahitur: cum frustratio illa aut error non in his accidat, sed in rebus ipsis.

LXIX. Ad hoc dilucidius, uti meretur, explicandum adducimus locum Philosophi ex libro I. Top. c. 2. ubi ista leguntur ipsius verba: *tum demum perfecta in nobis erit hæc ratio (μέθοδος τῶν συλλογισμάτων ἐξ ἐνδοξῶν) cum id accidet nobis, quod iis, qui arte Rhetorica, Medicina ceterisque facultatibus sunt præditi, id est, cum ex iis, quæ commode ad rem propositam adhiberi possunt, efficiemus quæ volumus. Neque enim vel orator omnibus modis persuadere solet, vel Medicus sanare:*
Sed

*sed si nihil prætermittat eorum, quæ adhiberi possint, tum de-
nique satis abunde scientia præditum esse dicemus.*

LXX. Ex quibus verbis illud manifestum est Rhe-
toricæ & Medicinæ aliarumque similium facultatum, quæ
sine suo excidere & frustrari sapius solent, naturam atque
certitudinem non ex ultimo & externo fine, ejusque con-
secutione esse arcessendam, sed proximo & interno, seu
potius ex officio & operibus, quibus ille procurari & effi-
ci, nisi vis major obstet, potest: cujusmodi hic sunt facul-
tas persuadendi & sanandi, sive potius *perspiciendi quicquid
in quaque re extogitari possit idoneum ad persuadendum*
lib. 1. Rhet. cap. 11. & ea parandi, quibus sanitas vel con-
servari vel restitui queat. Atque adeo, ut concludamus,
probe distinguendum hic est inter finem internum & ex-
ternum, seu, si ita loqui malimus, inter officium & finem
istorum habituum. Et istud quidem, uti ab habitu proxi-
me pendet; ita etiam constans & nunquam non situm esse
debet in potestate ejus, qui tali habitu præditus est. Sic ar-
tis, quatenus est habitus & virtus intellectualis, officium
est, ut per eam artifex norit, quomodo opera artis recte
sint producenda; & prudentiæ, ut de iis recte consultetur &
præcipiatur, quæ in actionibus sequenda, quænam fugien-
da sint. At vero ista omni tempore rite præstari possunt &
debent ab iis, qui his habitibus sunt instructi: Sin; vana
de iisdem gloriatio est. Hic autem remotior est, & positus
in rebus ab ipsis habitibus eorumq; possessoribus plerum-
que sejunctis. Quid itaque mirum cum non semper obti-
neri? Unde nemini vitio vertitur, si eodem excidat,
aut frustretur: cum peritissimis quibusque
id contingere possit.

In



In Academiæ Juliæ obtrectatores
HEXASTICHON.

Magna Parens quondam, vasto admirabi-
lis orbe,
Et quæ Cecropiâ Pallade major erat,
Nunc effœta, ajunt, anus est Academia, lassa
Partibus, id falsum comprobat hicce la-
bor.

Talia adhuc plures moliri sentio scripta
Helmstadij, blateras, livida lingua, tace.

In honorem


D N. RESPONDENTIS,

*Erudita solertia Juvenis, Convictoris & Amici Sui
veteris & præcipuè chari
adposuit*

**JOHANNES JUSTUS OLDECOP.
Hildesheimensis.**

F I N I S.





DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

VIRTUTIBUS
MENTIS

LVAM

D. O. M. A.

Amplissimi Ordinis Philosophici in
illustri Iulia consensu

PRÆSIDE

M. ANDREA FRÖLINGIO
NORTHEIMENSE,


Add. v. Julij cl^o l^o c LVI.

IN NOVI IVLEI AUDITORIO MAIORI

Publico examini exposuit

JOHANNES JUSTUS GECIUS
GÖTTINGENSIS.

RECUSA



HELMESTADII,

Typis JOHANNIS HEITMÜLLERI

Anno cl^o l^o c LIX.

23

